



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De femina meritis beatæ Mariæ virginis, à fouea desperationis liberata. XX

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

De femina, meritis B. Mariae Virginis, à fauce desperationis liberata.

N eadem ciuitate Schiedam erat foemina quaedam pusillanimis & timorata, quam diabolus in desperationis barathrum ferè præcipitauerat. Obiecit namque ei sæpius per somnium scedulam, cum peccato quodam ab ea commisso, quasi necdum diuinitus dimisso nec dimittendo: cum tamen ipsa illud sacramentaliter sæpius confessa absolutionem suscepisset, & poenitentiam iniunctã egisset, Cum ergo cordis sui angustias huic virgini crebrius exponeret, & illa benignis consolationibus desolatam refoueret, nec tamen quantum vellet, circa eam proficeret, eo quod princeps mortis, nouis semper terroribus per somnium eam, sicut prius, conturbaret, dicens: Nequaquam manus meas euadere poteris, quia literis istis te mihi confirmatam & subiugatam habeo.

2. Contigit ergo quadam vice, vt virgo orationibus dedita, ad caelestia raptã, eundem videret dæmonem chartam ipsam in manu gestantem: sed manu B. Mariae Virginis de manu eius violenter est ablata & rupta. Potens enim erat misericors Domina, omnia machinamenta diaboli dissoluerè, & tristem animam fiducia bonæ spei consolari. Hæc postmodum virgo sensibus corporeis restituta, domino Ioanni Walteri confessori suo retulit, malitiam diaboli per pietatem B. Virginis destructam ostendens. Post hæc femina prædicta, sicut prius, desolationis suæ querimonias coram virgine deposuit: quam illa blandè consolans, tacita tamen chartæ destructione, præcepit vt secunda deinceps esset, nec quicquam mali super hoc sibi euenturum formidaret. Sed & se ipsam obsidem pro conscientia illius in die iudicij offerens, ac diuinæ pietati per omnia confidens, ab omni præhabita trepidatione liberam eam reddidit & pacatam.

CAPVT XXI.

De gratia magna compunctionis, & larga effusione lachrymarum, in communicatione corporis Christi.

Nunc consequenter dicenda sunt aliqua, de statu sacre communionis huius deuotissime virginis: qualiter ipsa (aspirante diuina gratia) paulatim profecit ad altiora dona, frequenter accipiendo pretiosi corporis Christi sacramenta.

2. Eo igitur tempore ariditatis suæ (quando virgo adhuc nescia spiritualis dulcedinis, langueret in lectulo acerbissimi doloris)

fuit